



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Floremundi Raemundi V. Cl. Olim Consiliarii Regis  
Galliarvm Ex Calviniano Catholici Synopsis Omnium hujus  
temporis Controversiarum tam inter Lutheranos,  
Calvinistas quam alios plurimos. Sive Historia ...**

**Raemond, Florimond de**

**Coloniae Agrippinae, 1655**

II. Oratio qua ad proceres belgij usus est.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10880**

QUOMODO CAROLUS V. IMPERII  
Ferdinando fratri, & suarum ditionum admi-  
nistrationem Philippo filio  
commiserit.

## CAPUT QUINTUM.

## ARGUMENTUM.

- I. Caroli V. Imperatoris consilia & conatus.
- II. Oratio qua ad proceres Belgii usus est.
- III. Philippus II. paternas ditiones regendas cepisset.
- IV. Caroli V. Imperatoris secessus.
- V. Ejus religio & devotio.
- VI. Alia insignes virtutes.

**C**um igitur ad hunc modum Italia ab Hæresi immunitatis perfisteret Dei beneficio, Germania autem veluti Colicis passionibus & torminibus vicerum fuorum dilaniaretur, Imperator Carolus V. variis fortunæ casibus exercitus, tandem rerum humanarum pertæsus imperio ac regnis omnibus abdicare se, eaque tantum quæ ad animæ salutem pertinent curare, post Imperium triginta sex annos feliciter administratum, decrevit, quamvis ab hoc consilio multa eum revocarent, cum primis incerta Germaniæ pax, quam ob non ad versam jam, sed ad fictam valetudinem, quibus opus erat præfidiis stabilire, non dum licuerat, necessaria morbis ejus remedia adhibere hætenus neque potuerat. Nihilominus tamen, & ut afflictæ valetudini confuleret, & florentem filii juventutem potentissimi ac felicissimi hætenus Galliarum Regis fortunæ opponeret; missis ad Electores litteris, & ad Ferdinandum fratrem Imperii insignibus, privatam post hac agere vitam, & quod ejus superesset, in solius Dei servitio exigere constituit. Hunc in finem mense Septembri Anno M. DLV. Philippum filium ex Anglia, cujus Rex per Mariam uxorem erat, Bruxellas evocatum, diligenter de rebus omnibus quæ ad imperium pertinent, erudit, inter alia monens, ut cum Franciæ Rege, quo potentio rem magisque formidabilem hostem non haberet, pacem faceret, aut temporibus, obsecundaret: imprimis vero, ut Ferdinandi patrui sui Romanorum, Ungariæ ac Bohemiæ Regis, ejusque filiorum amicitiam omnibus modis conservaret. Deinde ad XIII. Octobris omnium Ordinum conventum Bruxellas induxit, in quo quum in amplissima pala-

tii aula, frequenti Senatû, magnaque Nobilium & omnium Ordinum corona consedisset, hanc fere in sententiam loquutus fertur.

II. *Mihi varios ac dubios fortuna mea casus, ab eo tempore quo vix undevigesimum ætatis annum ingressus, post mortem Maximiliani, Imperio admotus sum, reputanti, quum multa alia Dei in me beneficia occurrunt, tum illud præcipue, quod è tot hominum millibus unum me ad summum hunc dignitatis gradum velut sua ipse manu perduxerit, & ab hostium insidiis semper huc usque clementer custodierit, ipsis etiam meis inimicis in casses quos mihi struxerant, coniectis. Deo ergo immortalis ago gratias quantas animi mei angustia capere potest maximas, quod post tot labores exhaustos, tot pericula tam mari quam terra superata, hanc mihi gratiam fecit, ut tantum ejus beneficium, quo me ad hunc usque diem incolumem conservavit, mihi hoc ipso loco vobis præsentibus, agnoscere & predicare liceat. Ex altera parte non possum non deplorare eorum infelicitatem, quibus magna imperia commissa sunt, ob infinitos labores & pericula quæ commitari eos solent: illud verissime asseverans, postquam à morte domini ac patris mei, deinde aut materni, tot tantisque regnis ac ditionibus administrandis præfectus sum, non diem, non ullum fere temporis momentum ocio aut privatis voluptatibus me dedisse, quod non multis molestius fuerit permittum. Hujus rei testes sunt corpus hoc laboribus fractum, & caput hoc jam olim ante tempus canescens. Sunt inter vos multi qui horum meorum laborum aut participes fuerunt, aut certe conscii sunt: testes mearum actionum fideles. Norunt illi utrum ego causa sim earum calamitatum, quæ jam triginta & amplius annis Christianam Rempublicam afflixerunt. Dicant ipsi, quoties pacem ex animo me optasse audierint, adeo ut jure meo non semel cedere voluerim, quo nostra arma contra immanem Christiani nominis hostem conjungerentur. Quin ut viam aliis monstrarem, & exemplo præirem, bis, ut ipsi nostis, non sine magnis periculis ipse barbaro hosti caput hoc meum objeci, exercitumque opposui, ceteris vero temporibus laboranti Hungariæ auxilium contra Solimanum summi. Quod si omnia ad votum non successerunt, Dei voluntatem agnoscamus, omnis manu sua tenentis, qui ob peccata mea permittere noluit, ut tot tantisque victoriis, quas mihi clementer largiri dignatus est, his adjunctis, insolescerem. Quamvis autem ceteris Principibus ad inferenda infidelibus arma viam aperuerim; tantum tamen abest ut illi me sequuti sint, ut etiam eorundem auxilia contra nos evocarint. Idem ditiones meas in vaserunt ac va-*

D

fiarunt.



starunt, nescio quid juris in Mediolanensem Ducatum praecedentes. Notum est plerisque vestram, & Deus mihi testis est, qua illis obtulerim, qua tamen accipere illi pertinaciter recusarunt. Nunc illa sola me consolatio sustentat, quod Deus optime novit, quam in vicus ad arma venerim, & quidem contra eum hostem, qui egre ferens quod in sede mea collocatus non fuisset, deturbare inde summis viribus me velle visus est. Sed conatus eius repressi; quibus modis tacere malo, ne per arrogantiam iterum quasi de hoste triumphare velle videar. Ego per vitam meam magnos & potentissimos habui adversarios, qui plurimum mihi negotii fecerunt, divina tamen benignitate factum est, ut non illi meum, quod optabant, sed ego illorum finem viderim: quibus illud à Deo precor, ut qui in hac vita quiescere numquam potuerunt, in altera illa placide ac beate quiescant. Ex omnibus vero, Illustres Domini, nihil mihi molestius est atque acerbius, quam quod antequam ex hoc Mundo à vobis discedo, nullam adhuc rationem turbas illas, qua ob religionis diversitatem passim exorta sunt, componendi ac sedandi video: quamvis nulla in re plus cura atque opera posuerim. Deus ignoscat illis qui meis conatibus obstiterunt ( & certe bonus hic, & arthritide fractus senex non raro sub onere succumbere quodammodo, atque aliorum potius quam sua consilia sequi fuit coactus ) sed quia facta revocari non possunt, tempus est ut junioribus locum dem, idque, quod jam olim constitui, tandem executioni mandem: id est, ut humeros meos tam gravi onere liberem. Illud vero ego vobis affirmo hunc ipsum diem non minus gratum mihi ac laetum fore, quam eum quo Imperialem suscepi coronam. Mihi quidem vires meas expendenti, consilium hoc ita necessarium videtur, ut velim nolim, aliter facere non possim: quumque mortem jam impendentem mihi non procul videam, par est ut vestris rebus prospiciam, ne illa, me defuncto, aliquid accipiant detrimenti. Vnicum mihi filium Deus dedit, quem praesentem videtis, quem ego ut pater unice amo, quem vos etiam tamquam naturalem vestrum Dominum, diligere & colere par est. Hunc ego vobis, illustres Domini, & quotquot adestis, vobis commendo: rogans vosque adjuvans ut juvenem hunc Principem pro decrepito hoc senes accipiatis, natum, uti spero, ad vestram omnium utilitatem & salutem. Hoc à vobis impetrare debens non tam preces mea, non tam mea imbecillitas, qua quo me redegerit videtis, quam ipsum jus, atque Dei voluntas; qui nascendi conditione hunc vobis Principem dedit: hacque ipsa

acceptatio in vestram praecipue cedit utilitatem. Pro omnibus vero qua in vos à me unquam profecta sunt beneficiis, pro tot laboribus quibus sacra, libertatem, focos, uxores ac liberos vestros defendi, pro omni denique benignitate & mansuetudine, qua erga vos semper usus fui, hoc unum à vobis peto, ut filio huic meo eundem amorem, eandem obedientiam atque observantiam praestetis quam mihi patri ejus haecenus praestitistis. Huic ergo regna, Principatus ac ditiones meas omnes jam trado. Vestrum est in conservando Dei cultu, in tuenda patria libertate, in defendenda justitia, auxiliaries ei manus praestare. Ad me quod attinet, rebus gerendis jam porro inutilem, de medicorum consilio ( etsi spes meas omnes in uno illo & caelesti medico collocatas habeo ) in Hispaniam secedere, ibique quod reliquum mihi vita restat, exigere constitui: extremum hoc à vobis petens, ut interim mei memoriam qua par est benevolentia, tamquam ejus qui vestris commodis omnia posthabuit, usurpetis. Quod si aliquando tributa vobis imposui, id sane in vitis admodum, & non nisi extrema necessitate coactus feci. Filio vero quibus vestris necessitatibus succurrere atque onere vos ex parte sublevare possit, jam ego rationes commonstravi. Hunc ego iterum à vobis peto, ut tamquam legitimum meum successorem recipiatis. Quod si alacriter vos facientes videro, tanto lubentius ex hac vita discedam, relicto subditis meis bono Principe, & filio meo populo fideli. Hunc vos, tamquam caput vestrum, amate: hunc tamquam à Deo vobis propositum, observate, pacem & concordiam colite, & imprimis Catholicam religionem cura habete. Extremum hoc est quod à vobis spero & peto: nec sane ita de vobis meritis sum ut hoc mihi negare possitis aut debeatis, &c.

III. Hæc Cæsaris oratio plerisque adstantium lachrymas expressit: quumque nemo esset qui non optimi Cæsaris voluntati morè gerendum censeret, Philippus filius assurgens, capite detecto, in genua coram patre procumbit: quem ille manu capiti imposta, Belgii & omnium patrimonialium regnorum ac ditionum Principem pronunciat, & ut religionem ac justitiam colat, hortatur. Sic enim divinum ei auxilium numquam defuturum. Quod ille facturum se recepit, ac Deo simul, patri ac circumstantibus gratias egit, seque commendavit. Post hunc Maria quoque Cæsaris soror Vidua Ludovici Hungarorum Regis, Belgii nuper Gubernatrix surrexit, seque Imperio Belgii abdicavit ruptisque Caroli sigillis, Philippus omnem administrationem in se recepit: Carolus vero, relictis tan-

tuum